

stus, in Germaniam abierit. Verum, quia uxorem comitem habuisse traditur, Romam tum peregre profecturum, Venetiis subsedisse suspicari libet. Fuit enim annus ille salutis quadringentesimus supra millesimum, quo Bonifacius nonus magnum annum, & quem Jubileum vocant, condidit. Rivoaltinus pons eodem anno reffectus est. Florebant interim ocio & quiete civitas, nec si qua erat cura, ad aliud quam ad mercaturam spectabat. Statum hunc rerum novi Genuensium motus sollicitare cœperunt. Struxerant illi sub id tempus unam & viginti triremes, cetheasque naves sexdecim: sed de cetheis alii nihil scribunt. Fama erat, in Cypri Regem classem comparatam: Bucicardus, homo Gallici sanguinis, summæ rei præerat. Apud alios pro Bucicardo Bucichalum scriptum reperio. Traditur ad hæc immanis staturæ fuisse ac validi corporis. Sed, ut evenire solet, ut in parvo corpore plus moderata virtus possit, quam immodicæ effrenatæque vires in vasto & amplo, is singulari certamine congressus, a Galeoto Gonzaga hostiliter procedente tempore prostratus dicitur. Fuerant aliquandiu, erantque tum quoque Genuenses in Caroli Galliæ Regis fide, ac magna ex parte triremes Gallo milite ornaverant. Classis Genua profecta, & ad Scandelorum Ciliciæ oppidum post longissimum cursum admota (contra Cyprum in continenti Ciliciæ ora eum locum esse maritimæ rei periti affirmant) adeo hic ingentem cladem Ligur accepit, ut ex una & viginti turmis, quas classis ab initio habuit, undecim postea sint triremes instructæ. Hinc postea profectus, in Syriam Ligur cursum tenuit, Berutoque subito incurfu oppressa, Venetas naves & aliarum gentium alias, quæ tum forte in portu erant, hostiliter diripuit. Ex Syria inde infesto cursu, animo infestiore, in Peloponnesiacam oram venit. Carolus Zenus, quem Patres, ex quo allatum fuerat Genuenses naves comparare, Hadriatico sinui cum triremibus undecim præfecerant, Ligusticam classem in Superum mare profectam modico intervallo ab initio secutus, omnia circumspicere, sollicitusque providere, ne quis interim in

1400

1400

1403

*Genuensium
classis ex
Infero in
Superum
mare pro-
gressa, rem
Venetam a-
liquandiu
sollicitam
habuit.*

res